Matheranen Prælationis.

Stantibus.

Dub. -- *An, & cui competat prælatio, in casu &c.*

Rev. Pater. VSque de Anno 1704. Canonicus Dominicus Antonius, & Donatus Gratius de Paulicellis una cum Gabriele de Nigris eorum nepote pricipaliter, & insolidum imposuerunt Censum in sorte Ducatorum 267. & annui redditus ducatorum 18. circiter favore Vener. Conventus RR.PP. Sancti Augustini Matheræ Principalium meorum super Prædio in vocabulo *le Camastre Summario nu.*1. quod cum deinde nimirum die 30. Martii 1707. fuerit ab iisdem venditum RR. Monialibus Sanctissimæ Annunciatæ ejusdem Civitatis Adversariis pro Ducatis 720. nulla præcedenter facta denunciatione dictis Patribus Sancti Augustini, ut suprà Creditoribus Census, sicut ipsis summopere intererat dictum Prędium acquirere ob extremam necessitatem signantèr habendi commodum retinendi propria animalia, ut distinctè exprimitur in *Summario num.* 2. ità utendo eorum Iure comparuerunt coram Domino Vicario Generali præfatæ Civitatis, petendo prælationem in dicta venditione ad tenorem Bullæ Pianæ, & sententiam favorabilem servatis servandis in acerrima Partium contentione, ut benè demonstrat voluminosus processus desuper fabricatus, reportarunt *Summario num.*3. quàm R. P. D. A. C. Cerrus in gradu appellationis confirmavit *Summ. nu.*4. pluries, ac pluries auditis partibus etiam cum Advocatis hinc indè, & in continuis informationibus coràm eo habitis per biennium, & ultrà, & quidem non obstante, quod coràm dictis Iudicibus præfatæ Moniales prætensionem in specie excitaverint retinendi dictum Prædium ob competentiam prætensi Iuris prælationis vigore Census anterioris, ut inferiùs.

Devoluta Causa in ulteriori Instantia ad hoc Sacrum Supremum Tribunal, eaque commissa R.P.D. meo Ponenti, contingit, ut supra dubitari, & videtur rescribendum *Prælationem competere PP. S.Augustini*.

Siquidèm ipsi fundatam habent intentionem in notoria Bulla san: mem: Pii V. rescindente venditiones fundi censiti insciis Creditoribus Censuariis sequutas, eisque prælationem, seù Ius retractus concedente, quæ habetur apud *Cenc. de Censib. in initio* §. *Vbi autem*.

Non attento, quod Conventus habuerit judicialem notitiam dictæ

vendi-

venditionis, mediante citatione executa contrà Creditores venditorum die 31. Martii anni 1707. *Summario num.* 5. & per consequens immediata die, qua sequuta fuit, & cum intra mensem non declaraverint velle præferri; sed solùm de Mense Augusti præfati Anni, ut in processu primæ Instantiæ fol. 26. exindè emergat amplius hoc jus non potuisse competere in vim dictæ Bullæ, quæ facta venditione mandat Dominum Census per Mensem expectari ibi -- *Volumus Dominum Census aliis omnibus præferri, eique denunciari conditiones, quibus vendenda sit, & per Mensem expectari*; nam cum dicta citatio unicè exprimat venditionem secutam cum pacto dimittendi Creditores, & non contineat, nec insertionem Instrumenti venditionis, nec saltem expressionem distinctam omnium illius qualitatum, eaquè solummodò expleta fuerit pro convocando concursu creditorum Dominorum de Paulicellis venditorum, minimè supplere valet denunciationem demandatam à Bulla Piana, quæ mandat pro fine explicito prælationis denunciari conditiones, quibus res vendenda sit, quo non expleto, non suffragatur, ex notatis per *Rotam coram Peuting. decis.* 449. *num.* 6. *& decis.* 466. *num.* 2. *& coram Seraphin. decis.* 1474. *num.* 3. *&* 4. *& per totam, & post Cenc. de Censib. decis.* 158. *num.* 8. & tali casu requiritur præcisè interpellatio, nec sufficit eam verificari per æquipollens, ut ponderat *Gratian. discept. forens. cap.* 741. *num.* 4. *Cenc. de Censib. quæst.* 64. *num.* 20. *Rota coràm Celso decis.* 163. *num.* 4. *& coràm san: mem: Alexandro VIII. decis.* 268. *num.* 3.

Res adeò vera, ut etiamsi Dominus Census fuerit præsens Instrumento venditionis, quo casu utique negari nequit ipsum habuisse certam notitiam, adhuc dicta interpellatio requiritur, dùm in substantia ea unicè non tendit, ut ipse habeat notitiam venditionis, sed ulteriùs, ut possit deliberare, & declarare, an velit emere, & hoc procedit, quamvìs Dominus Census fuisset mediator venditionis, ut benè de his firmat *Modern. Asculan. de Stat. Vrbis adnot.* 24. *art.* 7. *num.* 463. *&* 464. ubi subdit, quod cum ejusmodi interpellatio sit de forma, non debeat concedi remissoria ad probandam scientiam extrajudicicialem.

Qua de re si deficit Iudicialis denunciatio modo proximè dicto requisita, ex quo dicta citatio generalitèr, & ad alium effectum se habet, & relativà est ad fidem succintam Notarii *dicto Summario num.* 5. in cujus fine legitur -- *ed altro, che si contiene nell' Istromento di vendita Summario nu.* 6. id quod suadet nullatenus posse supplere tenorem Instrumenti, ac certam, & explicitam notitiam omnium illius qualitatum, & conditionum, utique Conventus, seu RR. PP. Sancti Augustini potuerunt prælationem petere etiam post plures menses à die venditionis, cum tali casu tempus

duret

duret etiam usque ad Annos triginta, ut probat *Rota dicta decis. 268. num. 6. coram Alexandro VIII.* cum aliis apud *d. Modern. Asculan. ubi supra num. 467.*

Minusquè quod pro hac Parte fuerit deindè comparitum in actis, & institutum pro solutione sortis, & fructuum *Summario num. 7.* ex hoc inferendo, quod fuerit tacitè approbata venditio, & renunciatum Iuri prælationis, nàm in hoc casu stante discordia DD. supereo, an per per petionem pretii rei venditæ, imò per positivam illius exactionem censeatur approbata venditio, quorum aliqui affirmativam tenent, aliqui negativam, inter quos *Riccius decis. Cur. Neapolit. 249. per tot. part. 3. Cenc. de Censib. quæst. 66. num. 48. & seqq. Ciroc. discept. 29. num. 53. & seqq. Card. de Luc. de Credit. disc. 35. num. 10. paritèr; & seqq. Cavaler. dec. 657. nu. 2.* qui se fundant in eo quod Creditor in hoc casu duplicem personam representat, Creditoris nempè, & habentis Ius prælationis, & ista duo sunt inter se pœnitus diversa, & distincta, adeout unum nihil habeat commune cum alio, & per consequens exacto credito nequeat dici remissum Ius prelationis, cum ex diversis nulla fiat illatio.

Tres Casus distinguendi sunt sicuti pro illis concordandis optimè distinguit R.P.D. Corradinus de Iure prælationis *quæst. 28. num. 32. & seqq.*

Primo quando quis fuit præsens venditioni, & scivit omnia pacta & conventiones illius, & recepit ab emptore partem prætii, & non ignorabat sibi competere prælationem, & tunc censetur venditio approbata, & jus remissum, ex quo præsentia in contractu taciturnitas, & prætii receptio sunt omnino contraria Iuri Prælationis.

Secundo, quando non fuit præsens, nec particulariter, & specificè scivit eius qualitates, ac conditiones, et isto casu non censetur renunciasse Iuri prælationis, nec sibi præiudicasse, illud habens, recipiendo partem prætii, sed potius hoc refertur ad simplicem animum sese satisfaciendi de proprio credito, & ratio est, quia pro inducenda ratificatione præiudiciali, & ut quis obligetur propter scientiam, non sufficit notitia, & scientia in genere, sed requiritur specifica cum omnibus qualitatibus, & conditionibus, quibus contractus fuit expletus.

Et Tertio, quando agitur contra emptorem, qui se obligavit in Instrumento venditionis solvere prætium creditoribus venditoris, & vigore eiusmodi promissionis allato eodem Instrumento illum coegit ad solvendum, & isto Casu, sicuti remanet inallegabilis ignorantia qualitatum, & conditionum in ipso Instrumento venditionis appositarum, ita insurgit absque ulla difficultate venditionem, per receptionem prætii fuisse approbatam, & sic Ius

 præla-

prælationis remissum cum clarior animus approbandi dari non valeat.

Circumstantiæ in hypothesi demonstrant versari in secundo casu, quia PP. S. Augustini, qui de cetero nec fuerunt præsentes venditioni, nec vigore illius Instrumenti egerunt, utiquè cum contraria citatione habuerunt generalem notitiam venditionis dicto *Summ. num.* 5. sed cum in his terminis necessaria fuisset specifica, & particularis scientia omnium pactorum, & conditionum, utique iis mediantibus non fuit satisfactum, iis quæ necessaria erant, ad inferendam exinde prætensam renunciationem Iuri Prælationis, cum præsertim eadem loquatur de venditione, solum ingenere dicto *Summ. num.* 5.

Tametsi ea occasione fuerit allata venditio dicto *Summ. num.* 6. nam ea nil plus continet dicta citatione, & est sola fides succinta Notarii quæ in illius fine ad proprium Instrumentum se refert ibi - *ed altro, che si contiene nell'Instromento di vendita stipulato per mano mia sotto il detto di, & anno, al quale mi riferisco*; quæ verba bene ostendunt alia fuisse contenta in dicto instrumento, diversa ab iis, quæ in dicta fide fuerant expressa juxta adducta per *Barbos. tract. var. dict.* 26. *num.* 27.

Ultra quod præfata comparitio pro satisfactione nullum habuit effectum, ex quo memorati PP. S. Augustini nihil ab Adversariis exigerunt, idcirco quando etiam per possibile potuisset ex ea induci ratificatio venditionis, attamen dum nil fuit solutum, & ea tenderet ad satisfactionem tunc petitam, non autem ad renunciandum dictæ Prælationi, quæ in illo actu, nec quidem fuit cogitata à Religioso, qui tunc comparuit, etinhis materiis ignaro, nullatenus obesse valet iuxtà firmata *per Bald. in leg.* 1. *num.* 42. *C. qui admit. ad bonor. possess.* ibi -- *Item renunciatio non nocet, si cum ordinaretur ad unum effectum, illum non potest sortiri, & ideo deficiente causa finali rinunciationis est invalida, vel caduca. idem Bald. in l.* 3. *sub num.* 6. *Cod. de rei vindic.* ibi -- *Alii dicunt contrarium, quia licèt non teneat petitio, tamen inducitur tacita repudiatio, iste enim petendo prætium à Venditore, uidetur ratum habere &c. unde licet non teneat rati habitio, quantum ad prætium petendum debet tamen tenere, quantum ad prætium generandum &c. Tu dic. quod Glossa dicit verum, quia licet cessat Causa finalis, quare præsumebatur consensus, putabat enim posse recuperare pretium, & ista erat Causa finalis quare agebat, qua cessante, cessat tacita repudiatio.*

Id, quod est adeo verum, ut omnes DD. tractantes hanc materiam unicè faciant quæstionem in Terminis puræ, & realis exactionis, non autem simplicis petitionis prætii, & si qui ad sunt, qui loquuntur etiam de petitione in contrarium afferendi, in illorum

casibus

casibus concurrebat etiam exactio prætii, quæ hic deficit.

Quin applicetur exemplum Domini directi habentis prælationem in venditione fundi Emphytheutici qui petendo Laudemium vel Canones, censetur approbare alienationem, & renunciare Iuri Prælationis, sivè quia in hoc etiam Casu requiritur scientia specifica, & particularis conditionum, & pactorum, sivè etiam quia in his terminis DD. loquuntur, intercedente effectiva exactione Canonum, & laudemiorum, sive etiam quia adest magna diversitas inter unum, & alterum Casum, ut bene observat *Cen. de Censib. quæst.* 66. *num.* 69. *& seqq.*

Præterea, quando etiam dici posset per dictam comparationem renunciatum Iuri Prælativo, adhuc talis renunciatio non esset attendenda inpræiudicium Conventus ex duplici ratione, Prima, quia non docetur, quod vere P. Michael Angelus eam emiserit nec illa est illius Caractere exarata, vel saltem ab eo Subscripta, ut testatur Notarius *Summario num.* 8. nec ipse habebat speciale mandatum Procuræ ad explendum dictum actum, ideoque ubi etiam iuxta sensum contrarium sola petitio prætii rei venditæ, apta esset ad inducendam tacitam renunciationem, nunquam tamen hic dici posset fuisse inductam sine speciali mandato omnino requisito in declarandis, & exprimendis iis quæ pendent ab animo, ut firmant *Menoch. cons.* 460. *num.* 13. *Surd. decis.* 181. *num.* 10., *& sequen.* cum aliis *apud R. P. D. Corradin. de Prælatione quæst.* 8. *num.* 23. *Rot. coram Bichio decis.* 500. *num.* 10. & quidem facto à Patribus capitulariter congregatis, *Rota decis.* 227. *num.* 9. *par.* 15. *recent.*

Tametsi idem Pater esse Procurator Conventus, & sic de Iure censeretur illud habere, quoniam tunc temporis talis non erat dicto *Summario num.* 8. & quidquid sit in aliis casibus, & respectu aliarum Universitatum tale assumptum respectu huius Conventus omnino cessat ex constitutionibus Ordinis, quibus cavetur, quod similes Procuratores non habeant facultatem, nisi providendi indigentiis familiæ, invigilandi super conservatione prędiorum, & exigendi ipsius introitus, ac explendi expensasnecessarias, ut ex illarum particulis relatis *Summario num.* 9. ubi patet, quod nec etiam possint comparere in iudicio, & litem movere, aut motam rescindere absque Prioris, ac Patrum Consilio, & consensu.

Atque talis facultas non potest dici inclusa in facultate exigendi, quia, dum agebatur de comparendo in Iudicio consensus proximè insinuatus erat necessarius, eaque intelligitur quoad exactionem fructuum, & introituum, non quoad retrovenditionem census, & receptionem Capitalis, quia talis Procurator est expresse prohibitus alienare sine Consensu Prioris, & Patrum dicto *Summario num.* 9. & retrovenditio, quæ est species alienationis, non valet

valet fieri à Procuratore conſtituto ad exigendum, ut bene probat *Cenc. de Cenſib. quæſt.* 109. *num.* 47. *& ſeqq.*

Et de facto quando per Conventum fuit facta aliqua retrovenditio Cenſuum, ceſſio Iurium, vel quid ſimile ſemper ſecuta fuit à Patribus Capitulariter congregatis, vel ſaltem à ſpeciali Procuratore ab eis conſtituto, *Summario num.* 10. quod utique non eveniſſet data facultate in Generali Procuratore Conventus ut de ſe patet.

Ceſſatque omnis hæſitatio ex eo, quod non poſſet in illo conſiderari in omnem eventum, niſi mandatum generale, non autem ſpeciale, quod requiritur ad certum, & ſpecificum actum, cum expreſſione qualitatum, & circumſtantiarum neceſſariarum ut bene firmat *Rota coram Emerix Iun. deciſ.* 392. *num.* 5. & tale ſpeciale mandatam non poteſt præſumi, quia eu regiſtrari ſolent in libris Conuentus nuncupat *le Propoſte*, in quibus nullatenus habetur *Summario num.* 11. *&* 12. & quia habita notitia à Patribus Conuentus, ſtatim ipſi determinarunt introducere iudicium ſuper prælatione ſpeciali Procuratore deputato *Summario num.* 12. *litt. A. & numero* 13. Vnde quęuis allegabilis præſumptio cedere debet veritati, ſignanter cum ſimiles libri, data illorum inſpectione, & reuolutione ſuperabundent ad concludendam negativam *Rota coram Merlino deciſ.* 754. *num.* 5. *& ſeqq.*

Et etiam ex ſecunda ratione non eſſet attendenda pretenſæ renunciatio inducta per illius comparitionem quia Conuentus non potuiſſet remittere propria Iura, data potiſſimum utilitate, & neceſſitate habendi predium dicto *Summario num.* 2. & ſane nec tacite nec expreſſe ſine legitimis ſolemnitatibus beneplaciti, nempe Apoſtolici, & euidentis utilitatis, cum ſub diſpoſitione Extrauag. Ambitiosè non minus, ac bona immobilia etiam Iura comprehendantur ad tradita per *Quarant. in Summario Bullar. verbo Alienatio num.* 26. *cum aliis adductis per Ventrigl. Prax. rer. notabil. tom.* 1. *ad not.* 1. §. 2. *num.* 10.

Quin dicatur, quod Ius Prælationis ſit Ius acquirendum, & euentuale, quod ab Eccleſia abſque ulla ſolemnitate repudiari valet, cum tali caſu ipſa non dicatur alienare, ſed unice ſe abſtinere, quoniam hoc tollitur tribus efficaciſſimis reſponſionibus.

Quarum prima eſt, quod Ius prælationis poſitive dicitur Ius quæſitum, quamvis experiri non valeat, niſi poſt perfectum contractum emptionis & venditionis, ut firmat *Cenc. de Cenſib. quæſt.* 65. *num.* 14. *R. P. D. Corrad. de Prælation. quæſt.* 28. *ſub num.* 57. *verſic.* tum etiam quia, præcipue ex quo tempore prætenſæ renunciationis iam perfecta fuerat venditio favore Partis Adverſariæ abſque ulla denunciatione antequam ad illam deveniretur. unde tunc temporis iam nata erat actio ſuper prælatione, & ra-

dicatum

dicatum ius eam petendi, & nullatenus pendebat amplius sub aliquo eventu, & per consequens non poterat remitti sine solemnitatibus, ut subdit idem R. P. D. Corradin. ubi proxime, & generale est in omnibus Iuribus, & Actionibus ad res immobiles pertinentibus ad Ecclesias, & minores, tradunt *de Marinis ad Reverter. decis.* 116. *num.* 1. *Ricc. in Prax. resolut.* 163. *à num.* 1. *tom.* 3. *Olea de Cession. Iur. tit.* 2. *quæst.* 1. *num.* 34., nam qui non potest alienare immobilia, nec minus valet alienare Ius, quod ex illis habet cum illud etiam censeatur res immobilis, *Surd. Cons.* 451. *num.*25. *Mantic. de tacit. lib.*26. *tit.*7. *num.*22. *Olea ubi supra num.* 36.

Secunda, quod Ecclesia æqualiter lędi potest in querendis, & eventualibus, ac in quæsitis, id quod facit, ne oscitanter remitti, & rapudiari possit, ut generaliter firmat *Rota coram Priolo decis.* 387. *num.* 13. *& seqq.* & in terminis idem *R. P. D. Corradinus ubi supra sub num.* 57.

Et tertia, quod cum ex ea Conventus remansisset totaliter læsus, ex quo amisisset jus Prælationis, quod est prætio æstimabile, ut tradit *Leotard. de usur. quæst.* 56. *sub. num.* 32. maxime data necessitate Couventus habendi prædium, & quidem considerabile, quo casu nec minor sinè decreto valet cedere jus redimendi, & retrahendi, licet pro eodem prætio *Olea de cessione Iur. tit.* 2. *quæst.* 1. *num.* 37. semper ei competeret restitutio in integrum, ratione cuius ad jus prælationis omnino admittendus foret, ut benè firmat *Ventrigl. in Prax. tom.* 1. *adnot.* 1. §. 3. *num.* 2.

Exclusa ex his tacita renunciatione, ejusque relevantia, faciliùs excluditur aliud contrarium objectum, quòd exadverso constitui solet *super* acquisitione *Census anterioris, & ad Ven. Montem Misericordiæ* dictæ Civit. Matherę spectantis, quod cum sit de anno 1656. & per consequens anteriùs censui Ven. Conventus de anno 1704. optimum proindè, ut prætenditur jus tribuat Parti Adversariæ in exclusionem P.P. S. Augustini, signanter cum ea agat ad effectum retinendi, nam sat esset dicere quod cessio dicti Census non fuit facta à dicto Monte Misericordiæ, nec ab illius Congregatione, sed à D. Canonico Belisario Renza asserto illius Procuratore *Summario num.* 14., & ideò nisi ostendatur illius mandatum Procuræ dicta cessio operari non valet.

Minimè attento, quod dictus Canonicus in vẽditione exprimatur Procurator dicti Montis, nam talis expressio sè habet solùm de mandato Procuræ Generali *dicto Summario num.* 14., sub quo regularitèr non venit facultas alienandi l. Procurator C. de Procuratore *Rota coram Seraphin. decis.* 831. *num.* 4. & quod in hoc Casu verè requiratur mandatum speciale firmat *Mastrill. decis.* 77. *num.* 1., & 2., *Rota coram Cels. decis.* 111. *num*, 6. & 7. & in hoc proposi.

to non sufficit sola assertio in Instrumento, sed requiritur plena & concludens probatio facultatis alienandi, cum principalitèr de illa disputetur.

Accedente, quod ultra dictum mandatum Procuræ, probandum quoquè esset, quod in illo intervenerint omnes solemnitates requisitæ in alienationibus bonorum Ecclesię, cum in Constitutione Procuratoris ad alienandum exigatur eadem solemnitas, quæ requiritur in alienatione aliàs mandatum est nullum, *Decius consil. 282.num.2. Rota coram Seraphin. decis.*1080. *num.*2., & quod in alienatione Census, de quo hic quęritur necessarium sit Beneplacitum Apostolicum, latè firmat *Barbos. de potest Episc.cap.65. num.45.tom.3.Olea de Cess.Iur.tit.2.quæst.1.num.32.*

Quamvìs agatur de Monte Pietatis, seù misericordiæ, quoniàm cum ipse sit Locus Pius, ex adductis per *Novar. de elect. for. quæst.*17. *num.*2. *&* 3. respectu quoque illius, quoad alienationem Bonorum militant ea omnia, quæ procedunt respectu Ecclesiarum, *Mantic. de tacit. & ambig. convention. lib.*25. *tit.*6. *num.*69. *tom.* 2. *Panimoll. decis.*54. *num.* 2. atque hujusmodi nullitas potest allegari etiàm à Principalibus meis, licèt tertiis quia cum ea sit inducta ipso Iure propter Decretum irritans contentum in *extravag. ambitios. Card. de Luca de alienat. disc.* 1. *num.* 99. dicitur illicò, & incontinenti exclusiva Iuris agentis, & potest à quocumque proponi, ut latè tradit *Panimoll. decis.*23. *adnotat.*7. *num.*35. *&* 40. imò cum ista tendat ad excludendum Ius Prælationis Partis Adversæ ea dicitur potiùs negatio, & defensio, quàm exceptio de Iure Tertij, quæ alioquin potest semper afferri, quotiès prout hìc interest ipsius opponentis, ut benè advertit *Rota coram Cavalerio decis.*253. *num.*4. *& in recentior. decis.*240. *num.* 20. *part.* 15.

Nec non etiam satesset dicere, qood dictus Census non est impositus super toto predio *delle Camastre*, sed solùm super quindecim versuris illius *Summ.num.*15., ex quo capite Pars Adversa non posset ad summum habere actiones, quando omnia cessarent, non super toto, & universo prædio, sed tantùm super illius rata, ad firmata per *R. P. D. Corradin.de Prælat.dicta quæst.*32.*num.*34.*versic.* ideò si Census omnes usque ad finem.

licèt agatur de prædio individuo, in quo sicuti Censualista non admitteretur ad retrahendam partem, ità debeat admitti ad retrahendum totum, dùm expetit, nàm cum agatur de Prædio rustico, quod de sui natura dicitur dividuum, ut in terminis Casalis Polidorii in agro Romano existentis, dixit *Rota dec.*200.*num.*10. *part.*11. *& generale est in Prædiis rusticis, Rota decis.*287.*num.*2. *part.* 17. *recent., & in Spoletana Bonor- super division.* 2. *Martii* 1701.*coram Eminetiss.Caprara* §.quo verò ad modum contrarium

omni-

omninò dicendum est, nè alioquin Jus istud Prælationis, quòd est merè Reale competens ratione rei, super qua Census fuit impositus non autem alitèr, ut firmat *Cenc. de Censib. quæst. 65. num. 7. & 18.* experiatur super ea parte, super qua nexus hujusmodi reflecti nequit, & proindè effectus diversificetur à sua Causa productiva, contra omnia Juris principia.

Et quod sit dividuum, clarè resultat ex ipsomet facto contra hentium, qui impositionem dicti Census minimè fecerunt super toto Prædio; sed tantùm super illius parte, etiamsi illud denominetur *delle Camastre*; nàm non exindè excluditur illius dividuitas juxtà casum *d. decis. 200. part. 11.* circà Casale Polidori, & in fortioribus terminis de horto habente unicum rivulum aquæ, *est decisio 7. num. 2. & 3. coram Caualer.*

Non prætereundo, quod quæstio super tota, vel parte prædii assumi posset, quatenùs PP. Santi Augustini haberent Censum impositum super parti Prædii, eamque tantummodò peterent Jure Prælationis, & è contrà emptor opponeret, velle solùm vendere totum ratione connexione, & unicitatis contractus venditionis, allegando quod aliàs non emisset tanto prætio, nec utilitatem habere ex remanenti parte quam speret in eo toto, in quibus terminis procedcrent contraria, ut benè liquet ex *quæst. 13. R.P.D. Corradini* -- at dùm ipsi habent totum fundum retractui obnoxium, & illum totum emere non renuunt, cessant omnia, quia tali casu Monasterium Adversarium in nulla considerari potest jactura, ex quo ei restituitur integrum prætium rei venditæ, & in universum indemnitatur super quantitate soluta.

Haud attenta replicatione, quod sicuti, si Mons Misericordiæ pro suo Censu postulasset retractum, posset dictum Monasterium obligare ad totum, ità etiàm totum valeat retinere Monasterium ipsum Sanctissimæ Annunciatæ Adversarium ad quod idem Census de præsenti pertinet, nàm quoad illud recurrit, quod Prædium patitur commodam divisionem ex destinatione Patris familias, seu èx facto prioris illius Possessoris, qui in illius tantùm parte dictã Censum imposuit; Unde factum istud prævalet omnibus inordine ad d. divisionem, quod solùm provenit, non ex rigoroso Iure sed ex quadam æquitate, ne scilicèt Emptor sit in damno, ut firmatur à *R.P.D. Corradino in dicta quæst. 13. sub num. 9.*, in qua etiàm stabilitur non quod Creditor Census possit totam rempererere, emptore nolente, sed solùm quod Emptor ad totam rem accipiendam pro sua indemnitate dictum Creditorem compellere valeat, adeo, quod hujusmodi beneficium sit introductum favore Domini, & uti merè voluntarium nullatenùs fieri debeat necessarium, idcircò dùm hodiè cessat, perperam ad id recurritur, quià Monasterium ipsum Sanctissimæ Annunciatæ in nulla prorsùs ia-

ctura

ctura versatur mediante coactivo retractu totius prædii ab hac Parte intentato.

Verumtamen potiori Jure pars Adversa excluditur à petita prælatione, ratione dicti Census, animadverso in facto, quod in Instrumento emptionis Prædii controversi fuit explicitè conventum, quod cum ducatis 708. residualibus prætii extinguerentur debita anteriora DD. de Paulicellis, & finis, vendendi fuit in specie ad effectum extinguendi; qua de re fuit delegatum præfatum Monasterium, sivè ejus Procurator pro ea effectuanda *dict. Summ. num.6.*

Rursùs quod in sequelam istius pacti, ipse Procurator institit in Curia Episcopali Matheræ pro affictione edictorum ad effectũ notificandi creditoribus cum explicita expressione convertendi in extinctionem *dict. Summ. num.5.*

Proùt quoquè, quod intèr Creditores præcisè comparuit ipse Mons Misericordiæ, instando pro sui satisfactione, & quidem inhærendo pacto apposito in Instrumento venditionis, ac in illius sequelam *Summ. num.16.*

Itidèm, quod emptio ejusdem Census Montis fuit facta à Monasterio, uti Emptore, & Possessore prædii *d. Summ. num.14.*, id quod con firmat verè effectuatam extitisse in sequelam pacti adjecti in venditione, non autèm sub qualitate tertii, dum expresso certo titulo ad eum referri debet, ut optime dixit *Rota dec.335. num.10. part.19.* recent; potissimnm stantibus actibus præcedentibus, resultantibus ex lege expressa data in aquisitione, atque ex subsecuta notificatione, & interpellatione Creditorum, cum quibus ea regulari debet.

Nec non etiam, quod solutio certæ summæ ad complementum capitalis, & ad saldum, quià reliqua ducata fuerunt soluta per debitorem eodem *Summ. num.14.*

Et demùm quod ea incipit ab extinctione non autem à simplici Emptione, ex quo de facto actus expletur sub ea qualitate Emptoris ratione cujus Moniales Adversariæ præcisè extinguere tenebântur *d. Summ. num.5.6.& 14.*

Quibus stantibus nimis clarè attingitur nullatenùs potuisse exadverso acquiri translative, ob onus quod erat jam radicatum in Monasterio extinguendi, & dimittendi ex ea certa conclusione quod Emptor qui extinguit censũ passivũ venditoris cum pecuniis, quas alias solvere debuisset eidem venditori, non valet reportare cessionem Iurium translativam, & si illam obtineat, cessio illa resolvitur in extinctivam, ut recedendo à *decis.286. num.7.& 8.* dictum fuit in posterioribus *decis.758. part.18. tom.2., & 120. num.7. & 8. part.19.*

Res adeò vera ut in illa notissima Romana Prælationis 28. Ianua-

rii

rii 1692. coràm clar. mem. Cardinali Cavallerino impressa inter Decisiones recollectas ad materiam *Card.de Luc.de Censibus dec.* 460. *num.* 13. non fuerit ampliùs dubitatum de hac Theorica, quod nempè Emptor extinguens Censum, non succedat Iure retractus, quando ipsum extinguit ex prætio rei emptæ, vel in prętii locum sibi Censum accollat, & quod tunc etiàm explicita cessio translativa, nullum in hoc proposito operatur effectum.

Ac proindè frustra pars Adversa insistet primo in Clausulis appositis in Instrumento præseferentibus translativam cessionem etiàm ad effectum obtinendi prælationem, quià si istam acquirere volebat non debebat solvere prætium tamquàm Emptor, & in sequelam emptionis, proùt ipsa fecit, & superiùs fuit ostensum, nam tunc non est locus translationi, & per confusionem actionis crediti, & debiti, res devenit ad statum, à quo incipere non potest, juxtà firmata in proximè allegatis Decisionibus coram Cardinali Cavallerino, *ac part.*18.*&* 19.*rec.*

Secundò, quod summa residualis ducatorum sex decim non fuerit soluta ex pecuniis depositatis per Monasterium, quià in Instrumento venditionis aliud pactum non legitur, nisi quod Monasterium extinguere & debita venditoris,& ideò si post emptionē voluit deponere prætiū ad hoc ut Creditores concurrerunt, hoc non facit, quin Monasterium cum aliis pecuniis non valuisset satisfaciendo propriæ obligationi extinguere credita anteriora cum alia pecunia, signanter in deposito facto, non citatis Creditoribus per quod non poterant dici extincta credita anteriora, ut benę firmat *Rota post Cenc.de Cęnsib.decis.*296.*num.*6., & quotquot in oppositum allegari possunt authoritates, loquuntur de tertio, qui cum propriis pecuniis emit censum præcisivè ab onere assumpto, extinguendi, & dimittendi, proùt hic, vel in terminis fidejussoris, qui Iura Census acquisivit translativè,quod fidejussori prohibitum non est, dùm solvit pecuniam propriam, ut signantèr videre est in *decis.*911.*num.*4.*&* 5.*coram Cerro*.

Et tertio in quibusdam fidibus Abbatissæ Monasterii, & aliorum exadverso dandis, quod Census fuerit acquisitus præcisè pro acquirendis Iuribus anterioribus, & retinendo Prædio in concursu Patrum S. Augustini, nàm præmisso, quod sunt simplices fides, quæ nullam fidem faciunt, maximē ubi fuerunt expiscatæ, nedùm pendente lite, sed in limine illius expeditionis coram AC. Cerro post illius motiva determinativa, id quod suadet affectate, & studiosè fuisse obtentas, & exaratas & ubi proveniunt à Personis interessatis in Causa & ab ipsis Monialibus, quæ non valent sibi netipsis perhibere testimoniū ex plenè deductis in hoc proposito per *R.P.D.Corradinum de prælat.quæst.*26.*per tot.*

Hoc inquam, præmisso, si de per se non operatur Instrumentum acqui-

acquisitionis, licèt clausulis translativis munitum, ut fuit superius ostensum præcipuè in circumstantiis hujus Casus, in quo Moniales emerunt assumpto onere extinguendi & fuerunt delegatæ ad hunc præcisum finem & effectum ibi -- *delegorono essi Venditord d.Summ.num.6.* multò minùs operari valet intentio Partium, ut finis, quem ipsæ habuerunt in acquisitione, quam utiquè facere non poterant pro acquirendo Iure Prælationis vigore Census, quo ab eis extingui debebat.

Frustraque propterea consideranda proponitur in Monasterio duplicitas Personæ, quià dum vigore delegationis ab Instrumento Emptionis explicitè provenientis, ipsum Monasterium *D*ebitor evasit, nonnisi talis considerari valet, & hoc sufficit, ne censum emere potuerit pro obtinenda prælatione, quià repræsentaret figuram debitoris, & creditoris, quæ in Iure non datur, & duplicitas Personarum admittitur respectu effectuum diversorum & compatibilium, ut dixit *Rota coram Priolo decis.* 431. *num.*11. Non autem ubi, prout in præsenti repugnat, & incompatibile est, quod supradictum Monasterium deberet extinguere Censum cum pecuniis rei emptæ ad formam pacti appositi in Instrumento venditionis, & quod cum illis pecuniis repræsentare velit figuram terti ad effectum obtinendi dictam prælationem ut de se liquet.

Prævidentes d. Monasterium, & contrarii defensores pondus, & efficaciam prędictorum curarunt ultimo loco acquirere novum Censum impositum usque de Anno 1686. favore Ven. Cappellæ Santissimi Crucifixi Charitatis & illius vigore implorabitur exadverso prælatio stante etiam anterioritate ejusdem Census, sed nec etiam respectu ejusdem quidquam competit, tùm quià fuit re non integra acquisitus, nimirum die 2. Mensis Maii ultimo loco effluxi; Ideoquè longè post dictas geminas Sententias reportatas, & ad frustrandum, seù, ut meliùs dicam eludendum illarum effectum post acerrimam dispendiosam litem huc usque agitatam ut res ipsa demonstrat.

Tùm quià aquisitio Prædii fuit exadverso facta cum onere dimittendi non hos vel illos Creditores anteriores, & potiores, proùt de Iure, sed generalitèr Creditores, & ideò etiàm respectu illius recurrit, quidquid supra fuit dictum quod Monasterium habens onus dimittendi & extinguendi non valuit, nec etiàm illum translativè aquirere, eoquè fortius, quià etiam in ordine ad ipsum considerari debet citatio exadverso facta ad finem individuum extinguendi, quę fuit personalitèr executa contra Creditores certos,& contra alios incertos per ędictum publicum *dicto Summario num.* 5., quod efficit perinde habendum esse dictum creditum, acsi in ipsa Citatione specificatum esset, quia citatio per ędictum operatur in ordine ad Creditores incertos idem, quod operatur perso-

personalis quoad certos, ut notat *Ubert. de citation. cap.* 12. *num.*196. maximè quia etiam Procurator illius deindè comparuit petendo satisfactionem *Summ. n.*18.

Tùm quià dictum Ius prælationis obtentu dicti Census non intentat Cappellæ, sed Monasterium, quod debebat dimittere Debitores, & extinguere Census, quod utiquè non faceret acquirendo Iura translativè, quę ei suffragare non valent pro dicta prælatione, sed solùm pro repellendis creditoribus posterioribus agere volentibus pro satisfactione crediti super fundo vendito ex firmatis in dicta Romana pręlationis 28. Ianuarii 1692. §. Secundum est coram *D.* Cardinali Cavallerino, & priùs in *decisione* 758. *num.*6. & 7. *part.* 18., & *decis.* 120. *num.*4. & 5. *ac* 143. *num.*1. & *seqq. part.*19. ea in specie adducta ratione, quià tunc accollans succedit in locum debitoris, & extinguendo debitum illud dicitur extinguere tamquàm proprium, & per consequens extinguendo suum debitum non potest quoad ipsum reportare nisi cessionem extinctivam in prejudicium alterius creditoris intentantis Iura pręlationis.

Tum quia ea quoque expleta dignoscitur in executionem contractus venditionis, seù acquisitionis dictæ Massariæ, cum quo simplicitèr compatibiliter intelligi debet, non attenta quacumque formula, & expressione verborum ex supra firmatis in §. Ac proindè.

Tum demùm quia ea expiscata extitit stâtè de medio judiciali interpellatione, & deposito ab hac Parte facto respectu ipsius Cappellę cum propriis pecunijs Principalium meorum, & quidem usque de Mense Aprilis superioris Anni, idcircò post Annum, & ultra à die actualis depositi, ut quæso distinctè videre *in Summario num.*17. quæ ab eadem Cappella recipi debebant, dum Creditor tenetur recipere suam satisfactione à quocumque solvente *l. solutionem ff. de solution. Rota coram Priol. decis.*183. *nu.* 15. & dùm agitur de creditore posteriore, ei ad hunc effectum efficacius jus competit adversus anteriorem, signantèr ubi ipse non nisi ad suam satisfactionem protendit, ut firmat *Merlin. de pignor. lib.*4. *tit.*2. *quæst.*48. *num.* 5. *Olea de cess. Iur. tit.* 5. *quæst.* 1. *num.* 25. ubi quod si hypthecarius Creditor offerat (prout hic verificatur) præcisè extrà omnem aleam recipi debeat eidemque omnia etiam Iura cedenda sint.

Et dùm hoc non obstante voluit dicta Cappella ex importunitate, & adherentia favore Monialium, istis rebus ità se habentibus, cedere censum utique de hac cessione talitèr facta, de medio existente eodem deposito nulla ratio haberi valeat, ex quo tunc temporis jam per ipsum depositum, creditor considerari debebat tamquam dimissus, dùm per PP. S.Augustini non stabat, quomi-

nus

nùs ipſa Ven.Cappella reciperet , prout debebat .

Præſcindendo ab alia ratione , quæ reſpectu dicti Cenſus eſſet allegabilis , quod nimirùm ex cauſa ejuſdem non ſit ampliùs exercibilis jus prælationis , ſtante dicta citatione de medio , ac notorietate hujus litis inter has partes introductæ , & per conſequens effluxu longè ſuperioris temporis , quàm ſit præfinitum à Bulla Piana favore Creditoris Cenſuarii pro intendando dicto Iure ; conſiſiderata potiſſimum dicta comparitione facta per Procuratorem dictæ Cappellæ uſque ſub die 11. Aprilis 1707. *dicto Summario num.*18.

Quare &c.

Auguſtinus Galaminus.

R. P. D.

ANSALDO

Matheraneñ Prelationis

PRO

Ven. Conventu, & RR. PP. S. Auguſtini Matheræ.

CONTRA.

Ven. Monaſterium, & RR. Moniales Sanctiſſimæ Annunciatæ eiuſdem.

Facti

ROMÆ, Typis Rev. Cam. Apoſt. 1710